



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno
Granatensi, &c**

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

Lectio II. Relatis Doctorum placitis, duplici assertione dirimitur
controversia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

cognoscendi, vel medium, in quo res cognoscitur? Quæstio est de nomine: de re autem est, quod res præsertim materiales, & etiam spirituales, saltem pro hoc statu, non attinguntur, nec intelliguntur in se ipsis physicè existentibus, sed solum in verbo, vel medio illo, vel per illud.

Res physice intelliguntur in verbo, non in se ipso. 394. Nec ex eo inferas, res ipsas physicas non intelligi: intelliguntur quidem non in se ipsis, sed in verbo, mediante verbo. Nec item inferas, intellectum non cognoscere intuitivè albedinem, & alia. Etenim si cognitionis intuitivæ nomine intelligas cognitionem rei per proprias species; sic est falsum: quia intellectus plura cognoscit per proprias species à sensibus acceptas. Si autem intelligas, quod intellectus non attingat parietem album in se ipso, & sic non intelligat intuitivè; concedimus totum, quia hoc modo sola visio oculorum est intuitiva, quæ in se ipso externum & materiale objectum attingit: nec est ullus, qui intellectionem nostri intellectus in hoc statu visionem appellaverit, cui dumtaxat propriè accommodatur esse intuitivam.

Quæstio nis sensum enucleo. 395. Hinc præcognitâ differentiâ inter Verbum divinum increatum, & creatum, edevolvitur difficultas (ut benè peractus Borrull) an Verbum non solum dicat possibilitia, & ea exprimat; sed etiam futura, & existentia? seu (quod idem est) an Pater suo Verbo non solum exprimat objecta necessaria; sed etiam contingentia? Si enim Pater necessariò suo Verbo exprimat contingentia, consequens est, ex eorundem scientiâ liberè procedere; sicut consequens est ex scientiâ necessariâ possibilitium procedere necessariò, eo ipso quod ea necessariò exprimat. Ratio est. Quia omnis loquutio, ut verbum alicujus objecti dicti, debet ex ejus cognitione procedere, ut rationalis loquutio sit. Ergo ut Verbum Divinum sit rationalis loquutio futurorum contingentium debet ex eorum cognitione procedere.

LECTIO II.

Relatis Doctorum placitis, duplici assertione dirimitur controversia.

Sententias refero. 396. Prima sententia tenet, Verbum divinum nullatenus procedere ex cognitione contingentium. Ita Thomistæ communiter Recentiores sequuti à Gonetio disput. 9. art. 3. Ex nostris verò illi subscribunt Patres, Eximius Suarez, Molina, Vasquez, Granada, Martinus Perez, quos citat, & sequitur Borrull disp. 17. quæst. 4. estque inter nostros hujus

Academia Recentiores tria, & communis opinio. Secunda sententia edocet. Verbum procedere ex cognitione existentium. Ita ex nostris Valentia 1. part. quæst. 8. de Trinitate. Ruiz disp. 63. sect. 4. Zuniga quæst. 34. dub. 7. membr. 1. Arriaga disp. 52. sect. 4. subsect. 3. Mens ergo hujus opinionis est, Verbum divinum procedere etiam ex cognitione divinâ, ut actu respiciente contingentia, seu existentia. Etenim procedere ex cognitione contingentium specificativè, etiam Doctores primæ sententiæ concedunt; cum scientia contingentium, & possibilitium eadem sit, ac indivisibilis perfectio Dei.

397. Sit ergo assertio prima. Verbum divinum non procedit primariò & per se ex cognitione actuali contingentium, & in eâ, ut judico, dexteram jungent utriusque sententiæ Doctores. Probat. Illud procedit primariò, & per se ex aliquo principio, quo deficit, non procederet. Sed deficiente conjuncto cognitionis divinæ, & creaturarum contingentium, Verbum divinum nullâ ratione deficeret. Ergo divinum Verbum non procedit primariò, & per se ex cognitione contingentium, seu actu habente contingentia.

398. Firmatur ulterius. Quia si creata, quæ modò existunt, nunquam existissent, imò si nulla unquam creatura existeret, adhuc esset tota illa immutabilis Trinitas æquè perfecta, ac modò est. Ergo adhuc esset Verbum divinum, sed tunc non procederet ex cognitione liberâ actu habente pro termino creaturas existentes. Ergo Verbum divinum primariò, & per se procedit ex cognitione contingentium. Hoc autem clarè satis expressit Doctor Angelicus de Veritate quæst. 4. de Verbo, art. 5. sic: Pater principaliter dicit se, generando Verbum suum, & ex consequenti dicit creaturas. Et paulò infra ait: Accidit enim Verbo, ut per ipsum creatura dicantur. Ita ibi. Jam verò cum ex dictis constet, non accidere Verbo exprimere possibilitia; sed hoc ei necessariò competere; patet hîc loqui de creaturis existentibus. Tum etiam quia absolute & simpliciter, & absque addito loquendo, ut loquitur Sanctus Thomas, nisi aliquid existat, creatura non dicitur. Præcipuè tamen controversia est, an sicut Verbum per se procedit, & necessariò ex cognitione eorum, quæ dicuntur possibilitia; procedat etiam contingenter ex cognitione contingentium liberè extrâ causas existentium? Circa quod

399. Sit assertio secunda. Verbum divinum in sensu explicato verè & propriè procedit ex cognitione contingentium. Hanc conclusionem præter Doctores secundæ sententiæ, tenent expressè Almus Augustinus, & Thomas Angelicus. Probat. primò ex Augustino lib. 2. super Genes. ad litteram cap. 7.

Compendium et Ripalda

conclusio. Verbum divinum non procedit primariò & per se ex cognitione actuali contingentium.

Firmatur prædicto ex 1. Th. de veritate q. 4. de verbo 2. 5.

Assertio 2. Verbum divinum in sensu explicato ex cognitione contingentium verè procedit.

cap. 7. quem Divus Thomas per hæc verba refert quæst. 4. artic. 4. ibi: *Augustinus sic exponit dictum: Dixit, & factum est: Id est, Verbum genuit, in quo erat, ut fieret. Ergo Verbo, quod est Filius, dicit omnem creaturam.* Ita Sanctus Doctor. Loqui autem Divum Augustinum de creaturâ existentem, patet tum ex Genesi; tum ex illis verbis factum, & fieret. Accedit idem Augustinus tomo 9. Joannem exponens, ad illa verba: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: Circa quæ sic ait: Dicendo enim Verbo, quod factum fuerat, Pater per Filium, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia.* Ita ille. Ex quibus infero. Verbum procedit ex cognitione illius, quod Pater dicit suo Verbo; quia sic ipsum genuit. Sed Pater dixit suo Verbo, seu Filio, quod facturus erat. Ergo processit Verbum ex cognitione eorum, quæ facturus erat. Hæc autem, quæ facturus erat, contingentia sunt. Ergo.

Deinde ex S. Thoma ibidem cap. 7.

400. Probatur secundò ex Divo Thomâ de veritate quæst. 4. artic. 7. in corpore sic loquente: *Alio modo dicitur aliquid esse in Verbo, sicut id, quod per Verbum dicitur: Omne autem, quod aliquo Verbo dicitur, ordinatur quodammodo ad executionem; quia Verbo instigamus alios ad agendum, & ordinamus alios ad exequendum id, quod in mente concipimus: Unde etiam dicere Dei dispositio illius est, ut patet per Glossam apud aliud Psalmi 61. Semel loquutus est Deus, &c. Unde sicut Deus non disponit, nisi quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt; ita nec dicit: Unde Verbum est horum tantum, sicut ipsorum dictorum.* Ita ibi. Ex quibus patet, juxta mentem Divi Thomæ, propriè loquendo, solum dici verbo existentia, & non purè possibilis, quæ ad executionem non ordinantur; ac proinde res existentes propriè dicere Pater suo Verbo, constat etiam ex illo Joannis: *In principio erat VERBUM, &c. Omnia per ipsum facta sunt, &c.* At fieri aliquid per Verbum, aliud non est, quàm Verbo dici id, quod fit; vel aliquid fieri, quia Verbo dicitur. Ergo cum divinum Verbum procedat ex cognitione ejus, quod per ipsum dicitur, sequitur, quod intendimus.

3. Quia per Verbum divinum verè dicuntur existentia, & cõtingentia.

401. Probatur tertio à ratione. Verbum procedit ex cognitione eorum omnium, quæ Verbo, vel per Verbum dicuntur. Sed Verbo, aut per Verbum propriè, & verè dicuntur existentia, & contingentia, ut constat ex Sacrà Scripturâ, & Patribus. Ergo Verbum verè, & propriè procedit ex cognitione creaturarum contingentium. Major patet. Quia cum Deus non dicat, aut producat Verbum ex necessitate intelligendi, opus est, ut aliquomodo intelligatur cognitio eorum

Theol.

omnium, quæ Verbo suo dicit; aliàs Deus aut loqueretur, ut intelligeret suo Verbo, quæ dicit; aut loqueretur nesciente, quæ dicit, aut dicturus erat. Utrumque est falsum. Ergo.

402. Probatur quartò in Deo de facto non datur solum cognitio speculativa possibilium; sed etiam practica existentium, ut dicunt Theologi. Ergo per relationem Paternitatis non solum appropriatur Patri, fitque illius cognitio propria speculativa; sed etiam practica. At ex eo præcisè, quod speculativa cognitio fit appropriata Patri, secunda redditur ad producendum Verbum, quod fit quasi speculativum, vel quod speculativè solum exprimat possibilis. Ergo ex eo, quod fit appropriata Patri cognitio practica rerum existentium, seu quæ sunt, erit secunda ad producendum Verbum practicum, seu quod practicè, & in executione creaturas dicat existentes. Ergo, &c. Primum antecedens, & ejus consequentia constant. Quia quidquid est toti Trinitati commune, est appropriatum in Patre, & quasi modificatum relatione Paternitatis. Minor subsumpta est certa. Consequentia autem patet. Tum quia Verbum debet adæquari, & correspondere scientiæ infinitæ Patris eo modo, quod est in Patre. Tum quia si Patri concedimus practicum cognitionem, creaturas in actu ponentem; non est, unde ei denegemus Verbum, quo eas in actu practicè dicat, & manifestet: Pater enim quidquid intelligit, concipit, ac proinde formando Verbum, quo exprimat, & dicat, quæcumque cognoscit.

4. Quia in Deo non solum datur speculativa possibilium cognitio; sed etiam practica existentium.

403. Probatur quintò. Quia ut constat ex Florentino, dicitur ibi: *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenitus Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Sed Pater ex se, & non ab alio habuit non solum intellectionem, & volitionem necessarias; sed etiam scientiam, & volitionem liberas; id est, habentes, seu ponentes creaturas ad extrâ, licet hoc non habuerit Pater primariò, & per se; sed consequenter: Quia Pater suâ scientiâ, & volitione, non de necessitate; sed liberè vult, & dirigit creaturarum executionem. Ergo Pater dedit Filio, & hic ab eo accepit non solum scientiam, & volitionem necessarias; sed etiam scientiam practicum, & volitionem liberas. Tunc sic. Sed implicat, quod Filius accipiat ea omnia, quin; ut accipit scientiam, volitionem, & alia necessaria, evadat ut Verbum primariò, & per se dicens Patrem, & necessariò exprimens possibilis; & quatenus accipit consequenter à Patre scientiam, & volitionem liberas, evadat ut Verbum manifestativum creaturarum existentium, &

5. Suadetur ex Florentino.

H h

quo



quo Pater existentia dicat, & contingentia. Ergo. Et quidem discursus formatus undequâque decurrit, si probemus, Filium accipere à Patre practicam rerum scientiam, & liberam volitionem: In quo solum videtur esse difficultas. Id autem probo primò ex verbis Concilii Florentini dicentis, Patrem dedisse suo Filio, quæ habebat, exceptâ Paternitate. Atqui Pater habet scientiam practicam, & liberam rerum volitionem. Ergo eas dedit, & eas Filius accepit à Patre in sui generatione.

8. Quia 404. Probatum sextò. Optimè intelligitur, quod Pater necessariò intelligat, & amet per suam intellectionem, & volitionem; & quod Filius per eandem intellectionem, & volitionem necessariò intelligat, & amet, eas à Patre accipiendo; quin hoc, quod est accipere actus vitales à Patre, impediatur in Filio intelligere, & amare necessariò; ut vel ipsi Adversarii fatentur. Ergo pari ratione, & æquè benè intelligitur, quod Filius practicè, & liberè sciat, & velit creaturas existentes, licèt à Patre accipiat scientiâ, & volitionem liberâ. Consequentia patet. Quia tota ratio, quæ salvatur antecedens, est; quia licèt detur prioritas, & posterioritas, seu ordo originis in divinis processionibus, tres Personæ æquè sunt unus Deus, unus omnipotens, intelligens, amans, &c. cum ea prioritas, & posterioritas, sive ordo habendi divinam naturam, omnipotentiam, &c. non tollit, quominus sit in tribus Personis unica ratio Deitatis, intellectionis, volitionis, &c. At in tribus Personis unica est scientia practica, & libera, & similiter unica est volitio libera, & efficax rerum contingentium ad extrâ. Ergo sicut in intellectione, & volitione necessariis non obstat originis ordo, quominus omnes tres divinæ Personæ vitaliter intelligant, & velint necessariò; tamen si Filius accipiat, procedendo à Patre intellectionem, & volitionem; & similiter Spiritus Sanctus à Patre, & Filio; sic ordo originis non obstat, quin omnes tres divinæ Personæ eandem habeant scientiam practicam, & volitionem liberâs creaturarum contingentium; licèt Filius eas habeat à Patre: Cum enim non possit non procedere Verbum ex cognitione, quam accipit; si accipit scientiam practicam creaturarum existentium, à fortiori ex earum cognitione procedet.

Firmatur 405. Firmatur primò præjacta ratio. Pater divinus, quâ Pater est, liberè vult ab æterno creaturas existentes. Sed non potest liberè velle absque cognitione practica, seu actu dirigente ad executionem

earum. Ergo Pater, quâ Pater; habet ab æterno simul & scientiam, quâ actu dirigitur; & volitionem, quâ liberè vult efficaciter ponere creaturas: Uterque enim actus requiritur in agente rationali perfectissimè operante: Secundus quidem, ut effectus non fiat necessitate naturæ; sed omninò liberè: Primus autem, ut rationabiliter procedat per actum dirigentem voluntatem, & actu ordinantem executionem effectus ad finem intentum per tale opus. At Pater, quâ Pater, est prior ordine originis ipso Filio. Ergo quâ Pater, intelligit, & liberè vult id, quod vult; & est prior origine Filio. At Filius procedendo à Patre, à Patre accipit eâ ratione, quâ Pater origine dicitur, & est prior Filio: Imò Pater ad intrâ nihil potest habere, nisi quatenus est origine prior Filio. Ergo Filius accipit à Patre scientiam, & volitionem creaturarum contingentium.

406. Firmatur secundò. Hæc propositio: *Deus habet scientiam liberam, seu practicam, & volitionem liberam existentium; nostro modo concipiendi est prior subsistendi consequentia, quàm hæc: Pater habet talem scientiam, & volitionem.* Tum quia prima propositio demonstratur lumine naturali, non demonstratâ Trinitate: Tum quia Pater non habet tales actus ratione Paternitatis; sed Deitatis. Ergo quando talis propositio determinatur, & quasi descendit ad Trinitatem secundum modum, quo & Trinitas est, & est nobis revelata. Sed Trinitas revelata juxta Fidem habet hunc modum; scilicet ut Pater sit Deus, non ab alio; idest, non mediante aliâ Personâ; Filius verò non sit Deus nisi à Deo Patre. Ergo illa propositio secundum hunc modum quasi descendit, & determinatur ita, ut Pater liberè velit, & intelligat creaturas contingentes, non ab alio supposito; e contra verò Filius sit Deus liberè volens, & intelligens creaturas existentes, mediante Personâ Patris, à quâ accipiat non solum esse Deum, nec solum esse necessariò volentem, & intelligentem; sed etiam esse Deum liberè intelligentem, & volentem creaturas existentes; quod quidem prioritate originis prius est in Patre.

Uterque ratio eadem roboratur

